


## EMBLEMA LXIII.

## REGUM TRIBUNAL.



Iste Atheneæ Moderator Aulæ,  
Provide circum proprium Tribunal,  
Conscias dulcis Sophiæ volebat  
Pingere Musas.  
Nempè ubi leges placido geruntur  
Ore, sunt docto decorata cultu  
Sceptra: dum Reges Sophiæ sororum  
Jura maritant.

## COMMENTARIUS.

**A**udire igitur Reges suos subditos debent, & interdum, ut vidimus, de ipsorum causis, & querelis cognoscere, & judicare. Regi tamen semper, hoc est, nec nimia severitas gloriam affectantes, nec ita legum formulis, ac præceptis adstricti, ut aliquando, si res poposcerit, non possint communes illarum tramites transilire, & ex bono & æquo, quod sibi tempori, & rationi congruentius visum fuerit, statuere.

2. Nam Rex bonus melior censeri, & appellari solet, quam bona lex, ut post Bartolum (a), Baldum (b), & alios, Camillus Borrellus (c) observat, sive lex viva, ac loquens, ut Cicero (d) dixit. Ipsaque leges (e), etiam aliis inferioribus Magistratibus, ne dum Regibus judicantibus, Capiunt ut jure regantur, sicuti Catunculus monuit, hoc est boni & æqui consideratione habita, in quo juris ars, sive scientia, ac definitio secundum Ulpianum (f) consistit. Quod & alludens Julius Paulus (g), docuit: *In omnibus, maxim tamen in iure, æquitatem esse spectandam.* Et alibi (b): *Non oportere jus civile calumniari, neque verba ejus captare, sed qua mente quidquid dicatur, animadverteret convenire.* Et Constantinus Imperator inquiens (i): *Placuit in omnibus rebus præcipuum esse æquitatis, quam stricti juris rationem.*

3. Et in idem tendit illud Menandri (k): *Leges per quam egregia res sunt, sed is, qui legibus uititur nimium exactè, Sycophanta videtur.* Et verùm illud: *Sumnum jus summa injuria, sive sum-*

(a) Bart. in leg. presenti, per text. ibi, C. de iis qui ad Eccl.

(b) Bald. in leg. ex hoc jure, n. 1. de just. & jur.

(c) Borrel de praetari. Reg. Cathol. cap. 3. n. 89.

(d) Cic. lib. 3. de legib.

(e) L. respicendum, D. de panis.

(f) Ulpian. in l. 1. vers. Jus est, D. de just. & jur.

(g) L. in omnibus go. D. de reg. jur.

(h) L. ad exhibendum 19. D. ad exhib.

(i) L. Placuit 8. C. de jud.

(k) Men. in Androgy.

summa crux, summae malitia, quod, ut Cicero (l) inquit, factum est jam tritum sermonem proverbiū in cuius expositione alios Erasmus (m) allegat, quibus Rex quoque noster Alphonsus opitulatur, in una ex suis legibus (n) sanciens: *Entender si deben las leyes bien, è derechamente, tomando siempre verdadero entendimiento dellas, à la mas sana parte, è mas provechosa,*

4. Et quamvis hoc non ita facilē in aliis Magistratibus concedamus, in Regibus tamen, ut dixi, in dubium vocari non potest, ut sensit Cicero (o) dum scripsit, Populo, & Senatu permisum esse, non autem Judicibus, à verbis legis recedere. Et magis ad rem nostram Symmachus (p) inquiens: *Alta est conditio Magistratum, quorum corruptæ videntur esse sententiae, si sint legibus mitiores: alia Divorum Principum potestas, quo decet acrimoniam severi juris inflectere.* Et Constantinus Imperator (q) aperte sanciens: *Inter æquitatem, jusque interpositam interpretationem, Nobis Solis & oportet, & licet inspicere.*

5. Cum enim legum condendarum potestatem sibi dumtaxat Principes reservaverint, earum etiam interpretandarum, atque ex bono & æquo temperandarum licentiam penes se ipsos esse voluerunt, ut multis juribus (r) edocemur, & eruditè Guillermus Budæus (s), & alii (t) Auctores observant, simul etiam disserentes, in quo Bonum & æquum versari, seu consistere videatur. Ideoque Suetonius Tranquillus (u) multum commendat Claudium Imperatorem, quia, *Non semper præscripta legum sequutus, duritiam lenitatemque multarum ex bono & æquo, perinde ut afficiebatur, moderari solebat.*

6. Habet quippe æquitas mixtam quamdam rigoris & benignitatis, cuius causa non inepit, Media appellari solet, quasi quod in mediocritate consistat, ut docte ex Aristotele, Statio, & alii Cujacius (x) animadvertisit. Et à D. Cypriano, quem ipse non citat, diffinitur: *Justitia, misericordiae dulcedine temperata, sive rationalibilis modus, qui tam misericordiam, quam rigorrem contineat.* Quem plures alii sequuntur, quos latè recensent Albertus Bolognetus Hortensius Cavalcanus (y), & Guillermus Maranus, in peculiaribus commentariis, quos de jure & æquitate vulgarunt, & docte ex nostris Ferdinandus Mendoza (z) & Antonius de Quintanadueñas (a), quos pro multis allegasse sufficiet, docentes, *Quod æquitas est moderationis juris, ab humilitate proficiens; & quod æquissimum est, id recedere potius à justitia: & quod justissimum est, parum esse æquum.*

7. Et hoc idem est, quod ultra ab illis adducta, præsens nostrum Emblema insinuare contendit, in quo Regium excelsumque Tribunal exhibemus, cui à latere novem adscident Musæ, suis queque instrumentis ornatae, ad Pithæi nimurum Atheniensem, sive Træceniorum Regis, Thesei avi materni, mentem respicientes, qui, ut præter alios refert Pausanias (b), non modò jus, ut ejus dignitatem decebat, constanter dixit, sed & artem dicendi docuit, & liberum Rethericum posteris reliquit. Ex quo, & ejus monumenta cernebatur Tribunal ex albo marmore, tribus sellis judicariis insigne, cui proximum adhærebatur Templum Musarum, ut juris, & æquitatis, humaniorumque artium singulare commercium ostenderet, & Musas, Judiciorum severitatem suis concentibus demulcere, delinireque debere, significaret.

8. Etenim, licet P. Nicol. Causinus (c) hoc veluti ænigmæ Pitheum indicare voluisse tradat, Rethorices humanarumque literarum scientiam jus profitentibus, & dicentibus valde necessariam esse. Quod quidem in se etiam verissimum est, ut plures pluribus (d) probant, & Ego alibi (e) tetigi, propriis tamen ad hanc, quam dixi, rigoris & æquitatis moderationem, & modulationem, ubi causa eam patiatur, respexisse arbitror.

9. Nam ut præclarè quondam Sosipater dixit, *Gratia, que justitiam transgreditur, ne gratia quidem dici merentur: Amicas autem justitie, nemo rejicerit ultrò, qui modo non ex queru, aut petra natus sit;* quia ut D. Augustinus ait: *Nimia justitia incurrit peccatum; temperata justitia facit perfectos.* Solsitudinem correctionis amor Christi temperet, & dilectionem proximalrum sal justitie condit.

10. Quod simile videtur Androclis sententia, qui, ut Spinazzatus (f) refert, dicere solebat,

(1) Cicet. 1. offic. (2) Bolognet. Maranus, & Cavalc.

(3) Erasm. ex Terent. Collum. & alii in Adag. p. 619.

(4) L. 13. tit. 1. part. 1.

(5) Cicet. in orat. pro Ligario.

(6) Symmach. lib. 10. cap. 63.

(7) Constant. Imper. in l. 1. C. de legib.

(8) L. ult. C. de legib. l. 2. vers. Si quid verò. C. de vet. jur. l. ordine 15. ad munici. l. 14. tit. 1. p. 1.

(9) Budæus in dict. l. 1. vers. Jus de just. & jur.

(10) Conar. 1. com. & 11. Altiat. 1. part. cap. 30. Corras. lib. 2. miscell. cap. 18. & Anton. Fab. in juris Pap. tit. 1. princ. 2. illat. 8. Rhodig. lib. 7. cap. 22.

(11) Sueton. in Claud. cap. 14.

(12) Cujac. in recit. ad dict. l. 1. de just. & jur. pag. 93.

(13) Bolognet. Maranus, & Cavalc.

(14) Mendoza. disp. de pacl. lib. 1. cap. 3. ex n. 9.

(15) Quidam de jurid. lib. 2. tit. 1. ex num. 10.

(16) Paus. in Corint. pag. 713.

(17) Causin. de elog. fac. lib. 1. cap. 5. pag. 5.

(18) Erasm. Alexand. Dur. Faber, & alii apud Me

(19) lib. 2. de pacl. cap. 1. Æmil. Fest. in Prefit. suor. oper. Mercer lib. 1. opin. cap. 4. Suffid. in orat. de præst. leg. Roman. Cartill. in pref. ad opera Vellci. de Guevar. Patlad. in epist. ad filios, post lib. 2. quodid. novis. D. Laur. de Prado in Schediastare hujus arg. & Saavedr. Emp. 6. cu

(20) jus lemma, Politioribus ornantur.

(21) Ego Sup. Emblem. 26. & 27.

(22) Spinas. in Politiz. lib. 2. cap. 1. in fin.

*Ut sale condidis piscibus, ita lege quadam condidis legibus opus esse. Et Symmachis (g), ajetis, Hanc præcepè esse, causarum rationem, sive fortunam, ut in controversiis, aliis iure, aliis æquitate superior sit; tuncque labante consilio, deliberationem cognitoris ad oraculum clementiae principalis occurere.*

**11** Nec mirum est, si noster hic Pithæus, asistrer sibi Musas in suis Judiciis ob prædicam causam desideraverit, cum adeò sit difficultè, justum ab iniquo discernere, ut Horatius (b) non fuerit veritus dicere,

*Tempora si fasto que velis evolvere mundi,*

*Nec natura potest justo secernere iniquum.*

Et Marcus Tullius (i) Sulpicium Oratorem valde commendet, quod nusquam jus ab æquitate se-junxit. Cum enim cuiuslibet causa trutinatione, ut aliàs Ulpianus Juris-Consul scriptum reliquit, (k) Personarum, rerum, locorum, ac temporum, qualitatis, quantitatis, & eventus, aliarumque occurrentium circumstantiarum, diligens consideratio haberi debeat, cui & Quintilianus (l) assentit, dum inquit: *Atrocitys crescit ex bis, quid factum sit, à quo, quo animo, quo loco, quo tempore, quo modo;* hæ circumstantiae solent sè se ita, invicem implicate, ut judicantes anticipes reddant, in rigore ne an in æquitatem, & misericordiam propendeant, & justi regulam in Lesbiam convertant, quæ plumbæ erat, & ubi recta deseruire non poterat, ad tñ, quæ metienda erat, formam, deflectebatur, juxta illud Aristotelis (m), quod Adagiographus (n), de hoc agens, ita ex Graeco in Latinum convertit: *Siquidem infinitæ rei, infinita item regula. Quemadmodum plumbæ Lesbæ ædificationis regula: ad lapidis enim figuram transmoveret, neque manet rugula.*

**12** Unde merito à Sapientia (o) docemur, *Scire justitiam, esse radicem immortalitatis.* Et Origenes, nihil aliud esse Deum, quā vivente justitiam, perhibuit. Quasi hic solus infallibilis ejus minister esse possit, sequutus ut appareat, & Spinasatus (p) observat, Diadolum Proclum, qui justitiam ipsam Jovis dici filiam interpretatur. Quod Nomothetes, ac Juris auctor, & velut Princeps sit, & Moderator universorum: vel Plutarctum (q), qui eamdem ob causam, hac juris dicundi potestatem, non solum artem appellat, sed omnium etiam aliarum artum maximam, ac velut Reginam, laudans, inter plures alias testes, clarissimum Pindarum, qui Aristotelem Deum appellavit, ceu veræ justitiae artificem, quod diffinire potissimum norit, quid, quando, & quousque sit iniquorum quisque plectendus, vel juris scripti rigor, pro personarum, rerum, locorum, ac temporum circumstantiis, ut jam diximus, aliquantulum relaxandus.

**13** Quæ vel sola auctoritates, ut plures alias deficerent, satis esse possent, ad convincendum errorem, sive malignitatem, & parum sincerum judicium Angeli Thii, & Jacobi Zavarella, (r) qui Jurisprudentiam, nec artem esse, nec scientia nomine dignam, affirmare sunt ausi. Quorum sequutus delirium Petrus Andreas Canonherius (s), eò impudentia processit, ut Juris-Consultos, sive Juris Peritos, nec Sapientes, nec Peritos, nec Prudentes, & ad Rempublicam administrandam idoneos esse posse, dicere non erubeat. Quorum tamen nimiam destomachationem, peculiaribus hac de re editis libris, Christophorus Hemius, Joachimus Hopperus, Joannes Corrasius, Angelus Matthæcius, Petrus Gilchenius, eruditissimus Antonius Faber (t) & alii passim exagiant, & manifestis rationibus, & argumentis explodunt.

**14** Est enim ars, & quidem tum divina, tum verè Regia, ut suprà retulimus, cum Deus, ut noster Eusebius (u) optimè inquit, Reges suo loco Juris sequestres constituerit, Arbitros boni & equi, Sponsos justitiae, Hymeneos pacis, Feciales fortunæ communis, Custodes æquitatis tueri inter suos; præcipuumque ipsorum opus æquitas sit, ut graphicè etiam nostrum hoc Emblema designat.

**15** Et aliud simile Petri Costalii (x), de Dea Themide, quæ & ipsa, justitia cum æquitate temperata, à veteribus Æthnicis dicebatur, Jovisque solo, universalis mundi rectoris, assistrem fabulantur, ut præter plures alias Sophocles (y) ostendit, dum dixit.

*Vetusta si Jovi adsidet modo æquitas.*

Latèque prosequitur Themistius (z), omnino legendus, & insinuavit Anaxarchus, dum, licet

(g) Symmach. lib. 10. epist. 52.

(h) Horat. 1. serm. satyr. 3.

(i) Tullius apud Vales. cons. 64. n. 78. ubi alia Grut.

(k) Ulpian. in leg. aut facta, §. sed hec, D. de pen. §. arox, Insti. de impunit. leg. 1. tit. 16. part. 2. latè Far. rin. 1. crim. q. 15. ex n. 64. & q. 115. d. n. 13. & Bobad. in Polit. lib. 2. cap. 4. ex n. 10.

(l) Quint. lib. 6. cap. 1.

(m) Aristot. lib. 5. moral.

(n) Brasm. in Adag. Lesbæ regula, pag. mibi 431.

(o) Sapient. 15. 3.

(p) Spinas. ubi supr.

(q) Plutarct.

(r) Ang. Thius, & Zabarel. contr. 1. cap.

(s) Caneth. in Aphor. polit. 1. tom. pag. 18. 32. 92. 104. & 108.

(t) Ant. Fab. in Jurisprud. Pap. scient. per tot. præcipue tit. 1. illat. 5. ex pag. 8.

(u) Euseb. in Theopol. lib. 3. cap. 1. pag. 489. & seqq.

(x) Costal. in pegmat. pag. 12.

(y) Sophoc. in Oed. Coloneo.

(z) Themist. orat. 11.

perversè, & lenocinanter, ut præter alios tradit Plutarchus (a), Alexandrum Magnum, se ob Cliti necem discutiantem, his verbis solabatur: *Nescis assessorem Jovis Deorumque, Justitiam, & Fas esse, quo quicquid actum ab Dominante fuerit, id jus, & fas sit.* Et idem ipsum novissime Florentius Schoonhovius (b) insinuavit in alio Emblemate, inquiens:

*Cur Jovis Adsestrix Themis est? quod justa putanda,  
Que divina Dei mens ratacunque velit.*

**16** Quibus addo, de Musis, & præcipue Calliope, Regum judiciis adstantibus, Hesiodum, à Themistio (c) etiam valde laudatum, & illustratum, ita canentem,

*Nam comitem se venerandis Regibus infert,  
Quem Musæ colvere Jovis magni inclita protes,  
Et Reges videre ortum Jovis inter almos.  
Huic linguan dulci profundore rore, simulque  
Sua via destillant huic verba ex ore, proinde  
Hunc Populi ritè moderantem jura tuentur.*

**17** Et quidem justè administrationi justitiae Musas sociari, judicare debemus, cum eadem in reliquarum virtutum exercitio comites optarentur, ut satis ostendit illud Claudiani (d).

*Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas:  
Carmen anat, quisquis carmine digna gerit.*

Unde & illis Lacedæmonii, ut Plutarctus (e) inquit, ante præliorum discrimen sacrificabant, & Alexander ante Persicam expeditionem, Arriano (f) narrante, Musarum honori solempnes ludos constituit, Herculesque tot vitoriis, ac virtutibus celebratus, *Musagetis* nomine donatus fuit, quod ipsarum, quas sibi semper comites exoptavit, pariter honorem & defensionem suscepit, ut res, qua motu operibus, & præmiis juvari, ornarique deberent, sicuti latius ex Enmenio in oratione de reparandis scholis, Lulius Giraldus (g) scripsit, Fulvius Nobilioris simul historiam adducens, qui eadem de causa Romæ in circa Flaminio ædem Herculis Musarum ex pecunia censoria fecit, quæ omnia Dionysius Batilius (h) hoc Emblemate denotavit,

*Templa hic cum Musis (prisci monumenta Quiritis)*

*Musarum Alcides Duxque Comesque tenet,*

*Tam bene convenient, ille hiujus nomine tutæ,*

*Clarus hic illarum vocis, & artis ope.*

**18** Porrò, ut filum Emblematis nostri iterum capessamus, semper in judicantium, & Regum maximè, Tribunalibus, divinum quippiam interesse, vel, ut intersit, oportere, præsumptum fuit, cuius sulfamine, justum ab injusto, æquum ab iniquo secernere. Unde apud Hebraeos traditum legimus (i), Angelos ad hunc effectum in illis adsistere solitos possent, & congrua emergentibus causis judicia proferre. Quod ab Ægyptiis sumpsisse videntur, qui, ob eamdem præsumptionem, in eisdem Tribunalibus, ultra Judicum subsellia, alia vacua relinquebant, & venturis in hoc auxilium Angelis, reservabant, hoc veluti urbano hospitio, vel officio, opem, quam ex ipsis sibi spondebant, remunerantes.

**19** Et M. Varro apud Agellium (k) in libro quem appellavit ipse, *Isagongicum, de officio Senatus babendi*, exætè docet, Romæ, more majorum, justa Senatus consulta fieri non posse, nisi in Templis ad hoc per Augeres prius ritè sacratis, ac constitutis, inibique, antequam Senatus haberi inciperet, immolare hostiam, auspicarique debere. Cui mori postea Cæsar Augustus, quod lecti probatique Senatores, & religiosius, & minori molestia Senatorio munere fungentur, referente Suetonio (l), addidit, ut prius quām consideret quispiam, thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cuius templo coiretur. Jovique, Positio dicto, in Senatus vestibulo aliam peculiarem dicavit, in qua ingredientes privatos affectus, ac similitates deponerent.

**20** Quam, se quoque æmulaturum, ac constructurum, si tempore Romanorum vixisset Alphonso I. Aragonum Rex, ut Panormitanus (m) narrat, dicere solitus erat, & hodie Senatum Venetum reapse observeare Beyerlinchius (n) recenset, addens, idem ipsum insinuare voluisse, qui Ratisbonensi Curia hanc inscriptionem in tabula marmorea prefixerunt.

*Quisquis Senator curiam officii causa ingredieris,*

Bbb

An-

(a) Plutarct. in com. ad Princ. in doct. Arrian. & Cart. in vita Alex. Rhodig. lib. 8. cap. 1.

(b) Bodin. in demon. man. lib. 3. cap. 4.

(c) Schoon. Emblem. 55. pag. 163.

(k) Agell. lib. 14. cap. 7.

(d) Sueton. in August. apud Beyerlinch. in Theatr. lit. E pag. 362.

(l) Panorm. lib. 3. de dict. & fals. Alphon. cap. 2.

(m) Panorm. lib. 3. de dict. & fals. Alphon. cap. 2.

(n) Beyerlinch. in Theatr. lit. C. pag. 403.

(o) Girald. de Diis Gent. rynt. 10. pag. 318.

*Ante hoc ostium privatos affectus abjicio,  
Iron, vim, odium, amicitiam, adulacionem.  
Reipublice personam, & curam subjicito.  
Nam ut alii. æquus, aut iniquus fueris,  
Ita quoque Dei iudicium exspectabis, & sustinebis.*

21 Et ad hæc auspicia, & suprema (in quibus frequentius agnoscutur) Principum Tribunalia, boni, & æqui inspectionem, & amplexionem pertinere, facultatemque à stricto, ac summo jure sèpè deflectendi, quoties aequitatis, & humanitatis, vel utilitatis ratio aliud postulat, optimè, ultra suprà relatos Petrus Herodius (o) prosequitur. Atheniensium exemplum adducens, quibus cum lex esset, ut qui civium Megara se ad exiles contulissent, quibus nullum cum cibis commercium esse placuerat, iis capitale esset, & Polyevitus ab Areopagitis ob hujus legis transgressionem damnatus esset, quia factum non negaret, sed se idèo illuc contulisse diceret, ut Nicoclem, cui mater sua nupta esset inviseret, & quia ibi exulabat, consolaretur: quis enim eam causam non perpetuò obtenderet? Adhuc tamen Populus ex æquo & bono eum absolvit, quem judicavit miseratione, ac pietate magis Megaram venisse, quam dolo malo, consiliique cum exilibus adversus Rempublicam capiendo, participandive causa.

22 Platonem quoque ob similem causam Charmander accusavat, quod vi tempestatis compulsum, Æginam venisset, quod omnibus Atheniensibus prohibitus erat, & tamen ex bono & æquo liberatus fuit, non tam quod invitus appulisset, quam quod lex illa de Hominibus scripta erat Platò vero inter Philosophos esset, qui super homines sunt.

23 Thebanus etiam Epaminondas, ut Xenophon (p), & alii (q) prodiderunt, cum capitii accusatus esset, quod ad dicendam causam evocatus, non paruisse, postea audita ejus excusatione, quod tune pro Republica adversus Lacedæmonios militaret, inspectisque ejus meritis, qua longè hanc inobedientiam excessisse videbantur, jus, æquo & bono, lex, gratiae, & honesto cessit, & ipse à suis cibis capite puniendus, absolutus fuit.

24 Cui iudicio simile aliud in absolutione M. Horatii ob interfictum sororem, quia intempestivè occisi mariti mortem lugebat, Valerius Maximus (r) recolit. Alia etiam (s) de duobus parricidis ex bono & æquo comprehendinatis adjiciens, qui justo dolore impulsi, in tantum facinus proruperunt. Et aliud, adhuc notabilius, Lucii Pisonis, qui cum ob graves & intolerabiles iurias sociis illatas, prope damnatus esset, quia tamen prostratus humili, ad pedes iudicium osculandos, os suum cano replevit, hoc conspectu totam quæstionem (sive ut alii) legendum putant Concionem à severitate ad mansuetudinem transtulit, quia satis jam graves eum penas socii disesse arbitrii sunt, huc deductum necessitatis, ut abjecere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur.

25 Nec abest valde illud Julii Cæsarii, in absolvendo Quinto Ligario, quem mente prium sua, ut refert Plutarchus (t), jam dudum tamquam improbum hominem, notoriumque sibi hostem, damnatum habebat, sola Ciceronis oratione permoti, qua ipsum mirifice varissime affectibus, ad humanitatis, clementiae, ac misericordiae sua specimen præbendum suasit, miraque in dicendo gratia coegit.

26 Eisdemque virtutibus utens Prudentissimus Rex noster D. Philippus II. filium cujusdam mulieris ob homicidium justè damnatum, matri concedi jussit (u), ipsius oratione, & lachrymosis precibus, ac majorum meritis delinuit. Etenim ut cum verbis nostræ legis (x) Partitæ concludant: *Comoquier que los Reyes deben ser firmes, è mandar cumplir la justicia: pero pueden, è deben à las vegadas usar de estas tres bondades, así como de misericordia, è de merced, è de gracia.* Quod ipsis solis permitti, in alia (y) lege docemur. Et qualiter clementiam & misericordiam cum justitia sociare debeant, infra trademus (z), & bene præmonuit D. Ambrosius (a), sic inquiens: *Imitanini ergo Imperatores exemplum divinum, ut sitis in statuendis legibus severiores, in exigendis suppliciis misericordes: ut severitas legum insolentem restringat, audaciam, misericordia Principum reos subtrahat pæna.*

EM-

(o) Herod. lib. 10. tit. 1. cap. 1. fol. 389. ex Dinarcho contra Demosthenem.

(p) Xenophon. lib. 7. rer. Græc. 1.

(q) Cicer. de in ven. Appian. in Syria, Probus in Epiom.

(r) Valer. lib. 8. cap. 1. §. 1. & cap. 10. in 2. parti. §. 2.

(s) Idem 10. cap. 5. 6.

(t) Plutarch. in Cicer. vide ejusdem orat. pro Q. Ligario

(u) Balthas. Porren. lib. 1. de dist. & fact. Philip. II. cap. 4.

(x) L. 3. in fin. tit. 32. part. 7.

(y) L. 1. eod. tit.

(z) Infr. Emblem. 76.

(a) D. Ambros. in Psalm. 17. col. 3.

## EMBLEMA LIV.

## OMNIBUS ÆQUA.



*Et jacet absque jubat Leo, Frænaturque superba.  
Archiferi cervix, non meminitque sui.*

*Nosco manum justam, que humiles pariterque potentes  
Frænat, & æquali pondere librat ovans.  
Hic Rex, hic Princeps, ut ameris lumina fig,  
Frænatur vulgus, si Leo fræna capit.*

## COMMENTARIUS.

**P**ergam porro, & qui gloriam Regum, quibus hæc scribo, in omnibus opto, præcipuum ejus paranda viam paucis hac commentatione demonstrare conabor, rectam nimurum & æqualem omnibus justitiae administratione eisdem summè commendans, de qua meritò Tullius (a) dicere potuit: *Fundamentum perpetuae commendationis, & famæ justitiae est, sine qua nihil potestesse laudabile, & qui veram gloriam adipisci vult, justitiae fungatur officiis.* Quem sequutus D. Gregorius (b) *Summum* (inquit) in *Regibus bonum est justitiam colere, & quacunque jura servare.* Et his certior, & antiquior testis Salomon (c): *Justitia elevat gentem, & miseros populos injuria facit.* Et Isaías (d): *Ecce in justitia regnabit Rex, & Principes ejus præuent.*

Etenim, cum secundum eundem D. Gregorium (e) in quatuor virtutibus Temperantia, sciencie, Prudentia, Fortitudine, & Justitia, tota boni operis structura consurat, ex eisque laudari Reges maximè soleant, ultima hæc, juxta vulgatum Hesiodi (f) carmen, ab Aristotele (g), D. Thoma, & aliis (b) eximiè probatum, virtutes reliquas in se continet, ipsaque sublata, nihil alias proficiunt, quin potius cingulum, sive vinculum societatis humanae, quo per eandem actum, atque constringimur rumpi, ac dissolvi necesse est, ut multis multa Antores (i) passim ostendunt, quorum scrinia compilare velle, immensi, & supervacanei labor esset.

3 Maxime cum hæc omnia apud Nos satis comprobet lex (k) quedam septem Partiti juris, que inquit: *Justicia es una de las cosas porque mejor, è mas enderezadamente mantiene el mundo. Es así como fuente onde manan todos los demás derechos. E non solamente bregar la justicia en*

Bbb 2

- (a) Tull. 3. offic.
- (b) D. Gregor. lib. 7. epist. 20.
- (c) Proverb. 14. 34.
- (d) Isai. 31.
- (e) D. Gregor. 2. Moral. Zevall. de violent. gloss. 17. n. 24. & Guill. Roville in tract. de just. & injust.
- (f) Hesiod. in Theolog.
- (g) Aristot. 5. Ethic.
- (h) D. Thom. & Theol. omnes in 2. 2. quest. 58. art. 3.
- (i) D. Thom. & alii ubi supra. Catan. 5. part. cons. 5. Lips. 1. pol. cap. 10. & 11. in mon. polit. lib. 1. cap. 9. Spinac. lib. 1. cap. 7. & numeri alii apud Canonher. 1. tom. Aphorism. ex pag. 198. Sylv. nupt. lib. 5. ex num. 76. & alii passim.
- (k) Procam. Partit. 3. tit. De la Justicia, latissim. Damhouder. in prælud. ad trax. jur. civil. & in cap. 11.

los pleitos que son entre los demandadores, è los demandados en juicio: mas aun entre todas las otras cosas que avienen entre los omes, quier se fagan por obra, ò se digan por palabra. Ubi ejus Glosographus (l), post alia, quæ de justitiae laudibus ex D. Ambrosio, & aliis adduxit, benè cum D. Augustino (m) concludit, Ea remota, nihil aliud esse Regna, quæ latrocinia. Et cum M. Tullio (n), tantam ejus vim esse, Ut ne illi, qui maleficio & scelere pascuntur sine aliqua ejus particula vivere possint: nam & Princeps latronum, nisi æqualiter prædam dispartiatur, aut interficietur à sociis, aut relinquetur.

4 Multisque aliis omissis, quæ de eximia hac virtute, & ejus necessitate, & utilitate facile congerere possem, satis erit Claudianum (o), aliqua ex ipsis perstringentem, adducere, dum inquit:

*Esse sed injustum fateor, quodcumque negatur  
Justitia: Tu prima boninem sylvestribus antris  
Elicis, & fredo detergis secula iætu.  
Te propter colimus leges, animosque ferariorum.  
Ex cuius: nitidis quisquis te sensibus hausit  
Irruet intrepidus flammis, hiberna secabit  
Æquora, confertos hostes superabit in armis,  
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus:  
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.*

5 Et multò plura M. Prætorium (p), ita eleganter canentem,

*Me sine civilis frigent commercia vita;  
Me sine nulla domus, Respublica nulla senectam  
Ferre, nec ulli diu possint consistere Regna:  
Inque Deum Pietas sine me, nulla, inque propinquos  
Nulla fides: sine me quanta est prudentia Regum,  
Stultitia est larvata, siuorque Heroica virtus.  
Me sine Mortales cultos dediscere mores  
Et vitam, atque animos indui rursus aggregestum  
In sylvas migrare volent, stabula alta ferarum,  
Et quandam proavis habitata revisere lustra.*

6 Relatu quoque digna videntur alterius Moderni (q) de re eadem carmina, & ad Reges ad hanc virtutem exhortandos, maximè conducentia, qua sic habent:

*Cum Deus immensam libravit in aere molem,  
Confusunque chaos, divisaque corpora rerum  
Ad concors sociavit opus, prefecit in orbe  
Justitiam, stabili terras quæ lege ligaret;  
Illa vices rerum, indigestaque semina certis  
Ordinibus constare jubet: moderamine justo  
Æqua probat, dannatque nefas hæc sceptra tuerit,  
Hec auferit, Regesque facit, &c.*

7 Qua de causa veteres Ethnici, ut Orpheus (r) & Demosthenes (s) apud Natalem Comitem (t) indicant, ut summam hujus virtutis necessitatem in his, qui Reipublicæ præsunt, significarent, in throno ipsius Jovis, quem veluti Deorum Deum, & Regum Regem venerabantur, Euno mihi adsidere fingebant, qua bonam legem, sive justitiam, ut nomen ostendit, significabant, alio nomine eamdem Æquitatem appellantem, eique Pudorem comitem facientes, quasi his semotis, Mundum gubernare nequiter. In ipsa autem effigienda varii admundum fuisse reperiuntur.

8 Nam Chrysippus in libro de Honesto, ab Agellio (u) relatus, ejus imaginem fieri solitam inquit, forma atque filo virginali; aspectu vehementi, & formidabili: luminibus oculorum acibus, neque humili, neque atrocis, sed reverenda cujusdam tristitiae dignitatis. Quæ tamen Pictura, ut idem Agellius tradit, delicationibus quibusdam Philosophis sevitie magis, quæn justitiae, merito visa fuit. Pausanias (x) autem in arce Clypseli depictam inveniri tradit, sub formose mulieris forma, quæ alteram feida facie, sinistra obstrictam, collo trahit, dextera fuste cedit, quasi injuriam male multans.

9 Nigidius vero Figulus, de cuius doctrina & scriptis plura Agellius (y) observat, illam in

(l) Greg. Lop. difit. Proam. verb. Justicia.

(m) D. August. lib. 4. de Civit. Dei cap.

(n) Tull. i. de offic. lib. 1. de somn. Scipion.

(o) Ciaud. de Consul. Mal. Theod.

(p) Prætor. lib. 1. de Princip. salut. administr.

(q) Balithas. de Vias in Syria 5. pag. 172.

(r) Orph. in Dæd. Col.

(s) Demosthen. in orat. in Aristogit.

(t) Nat. Comes in Mytol. pag. 92. & 120.

(u) Agell. lib. 14. cap. 4.

(x) Pausan. ap. Girald. de Ditis Gent. synt. 1. pag. 27.

(y) Agell. lib. 19. cap. 14.

Zodiaco, inter Libræ, & Leonis coelestia signa, sedentem constituit, quasi Dea jam illa, quæ duobus his signis ornari solebat, hominibus propter sua vitia, fraudesque relictis, ad superos convolarit. Quò respiciens Petrus Costalius (z), Pegma primum ex suis sub eadem figura, his versibus adjectis, effinxit;

*Vab qui inculcatis aude sperare querelis*

*Justitiam aetherei linquerer regna Poli*

*Illi signifero sedes ascribitur orbi,*

*Et clari ante oculos Arctophylacis abit:*

*Quæ locus ad Libram, & radiantis membra Leonis*

*Finditur, & duplice dividit astra sinu.*

*Hujus nostrorum sordes, & stupra, Deorum*

*Moverunt justa debita sceptræ manu.*

10 Lilius porrò Giraldus (a), vulgarem quidem fateur, sed magis ad rem, communem illam picturam, ab omnibus ferè jam Pictoribus usurpatam, dum sub virginis forma justitiam effigiant, cum examine lancis, vel stateræ, securumque, aut virgarum fascibus. Vidisseque, & sibi placuisse ait (b), qui illam, nudam virginem effigient, quadratum super lapidem sedentem, & æquatam manu altera bilancem tenentem: exertum altera sub ala ensem quodammodo occulente.

11 Alexander autem ab Alexandro (c), & Pierius Valerianus (d), post Plutarchum (e), & Stobæum (f), quod suprà relati Autores sub his justitia Icomibus significare voluerunt, in quadam alia Thebanorum effigie non minùs congruent indicari docent, qui, ut ostenderent, justitiam incorruptam esse debere, & neque pretio, nec prece, ullavè alia hominum gratia flexibilem, aut variabilem, Judices pro Tribunalí sedentes sine manibus, eis verò adsidentem Principem, sive Præsidem, sine oculis effigiarunt. Quam picturam latè laudavit, & illustravit Noster Altius in oratione, quam de laudibus juris civilis scripsit, nec eo contentus, inter sui Emblema ta camdem inseruit (g), sub lemmate, *In Senatum boni Principis*, & hoc elegantissimo Dialogismo:

*Effigies manibus truncæ ante altaria Divum*

*Hinc resident, quarum lunine capta prior.*

*Signa Potestatis summae, sanctique Senatus*

*Thebanis fuerant ista reperta viris.*

*Cur resident? quia mente graves decet esse quieta*

*Juridicos, animo nec variare lev.*

*Cur sine manibus? Capiunt ne xenia, nec se*

*Polllicitis fletri, muneribusve sinant.*

*Cæcus at est Princeps, quod Solis auribus, absque*

*Affectu, constans iussa Senatus agit.*

12 Et hæc planè omnia ob oculos habuisse videtur Ignatius Albanus (b), dum veram justitiam à falsa discernit, & hoc item Dialogismo describit,

*Quæ Dea? Justitia. Et cur torvo lumine? Fletri*

*Nescia sun lacrymis, nec prece, nec pretio.*

*Quod genus? à superis. Genitor quis? Jupiter. Ex qua*

*Matre? Fide. Nutrix? tua? pauperies.*

*Quis gremio infantem fovi? prudentia, Quoniam*

*Freta duc ignoscis crimina? Judicio.*

*Cui gladium tua Dextra gerit, cui leva bilancem?*

*Ponderat hæc causas: percudit ille reos.*

*Quid rari adsistunt? quod copia rara bonorum est.*

*Quæ comes adsidua est? candida simplicitas.*

*Aurum aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*

*Hec surda injustis; pandit illa bonis.*

*Paupere cur semper vulnus? Justissimus esse,*

*Qui cupit, exiguis semper habebit opes.*

13 Pierio etiam Valeriano (i) testante, veteres, Euphratem flubium justitiae symbolum esse voluerunt, quia quemadmodum per illum, fœcunditas, & fructuum abundantia intelligebatur: ita est nulla virtus, quam ex justitia, optimiores latioresque fructus colligantur. Hinc Ceres legifera Poë-

(a) Costal. pag. 1. vide etiam aliud simile Batillii Emblem. 190.  
(b) Stob. term. 44.

(c) Lili. Girald. syntagma. 1. pag. 27.  
(d) Clem. Alexand. lib. 6. Strom. cap. Virtutem facit quadratam.

(e) Plutarch. in lib. de Isid. & Olirid.

(f) Ignat. Alban. ap. Canonib. 1. tom. pag. 436. & Lan-

gium in Polian. verb. Justit. col. 1499.

(g) Altiat. Emblem. 144.

(h) Pier. lib. 21. fol. mibi 154.

Poëtis, eademque Astrea, hinc tellus ipsa justissima, ac ipsius justitiae simulacrum perhibetur.

14 Nos autem præsenti hoc, quod cernis, Emblemate, virginalem habitum libram, & gladium, oculorumque velamen à ceteris mutuati, ipsam frænato subactoque leoni incidentem depingimus, ejusdem Pierii Valeriani (k) vestigia sequuti, qui inventam suo tempore Monetam picturæ ejusmodi tradit, sive quia justitia, ut inquit D. Augustinus (l), ipsum qui eam sequitur, imperterritum tamquam Leonem facit, unde in Proverbis (m) habetur, *Justus quasi Leo confidens, absque terrore erit. Quod in causa fuit, ut Herculem, quem Amatorem justitiae dixerunt, semper Lonis exuvia vestitum confingerent. Sive, ut Ego addo, ut præter hujus virtutis integratatem, & inflexibilitatem, quæ in virginali habitu, libra, gladio, & cæcitate, ut scripsit Proclus (n), denotabantur, dum Leonis tergus præmit, frænatumque illum, quolibet dicit, atque diducit, significarent, justitiae vires in omnes tam validos, quam invalidos, tam nobiles, quam plebejos, tam humiles, ac debiles, quam potentes, æqua lance Imperium potestatemque suam exercere debere. Unde ex eadem Moneta Leonisque pictura, symbolum aliud deduxit Causinus (o), cum lemmate, *Feroce domat justitia, & illis Orphæi (p) carminibus.**

*Semper frangis enim omnes*

*Quicunque tuum non subjerunt jugum.*

15 Ne in aliter eam exercentes, illud Juvenalis (q) interqueri possit,

*Dat veniam corvis; vexat censura columbas.*

Aut juxta vulgatum dipterum Anacharsidis (r) aranearum telis similes esse, quas validiora animalia prætrumpunt, solumque parva, & imbecilia, suis laqueis irretiunt. Quod inter sua Pegmata sic Petrus (s) Costalii ( Diogeni tamen tribuens) his verbis expressit;

*Dum volat, elatæ tellas disrumpit Arachnes*

*Oestrion, & impavidè mollia pensa terit.*

*Sed capitur tenuis macilento corpore musca,*

*Nec fugit arguta retia dulta manu.*

*Sic pauper posite sortes vix effugit urnæ,*

*Sed dives rupo vimine tutus abit.*

Et Florentius Schoonhovius (t) inter sua Emblemata istis,

*Aranearum tela magnis rumpitur*

*Muscis, minores strangulat;*

*Rei potentes Judicum sententiam*

*Odore ducunt munerum;*

*Qui nil habet quo torqueat leges, miser*

*In pelle pauper plecitur.*

16 Addo & Nos rur Joannem de Mena (u), qui eamdem comparationem sic Hispano idiomate non minus venustè scriptam reliquit,

*Como las telas que dan las Arañas*

*Las leyes presentes no sean, ni tales,*

*Que prenden los faicos viles animales,*

*I muestran en ellos sus languidas sañas.*

*Las bestias mayores, que son mas estrañas,*

*Pasan por todo, rompiendo la tela;*

*Asi que no obra virtud la cautela,*

*Sino contra pobres, i flacas compañias.*

17 Atque hoc nimurum est, quod Nos, hoc nostro, Clavum Reipublicæ tenentibus suadere conamur, ut ejus lemma demonstrat: nam nihil magis curare debent, qui juris sanciendi, vel dicendi jus habent, quam personarum acceptionem excludere; pares causas, pari lege transigere, & potentes, hac humiles æquali trutina, prout ejusdem juris ratio suggeserit, ponderare. In quo præcipuum justitiae officium vigoremque consistere, eleganter Cicero in Topicis insinuavit, inquisiens: *Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat. Et Julius Paulus Juris-Consultus (x) dum docuit: In omnibus maximè tamen in jure, æquitas spectanda est.*

18 Quibus in locis, non sine ratione Jacobus Rævardus (y) *Æquitatis* verbum, non tam pro stricti juris temperamento, seu Epicheja, de qua suprà (z) plura concessimus, accipendum; sed

(k) Pier. lib. 1. Suar. de Salazar in antiqu. Gadit. lib. 2. cap. 3. pag. 164.

(l) D. Aug. in serm.

(m) Proverb. 28.

(n) Proclus apud Rhodigin. lib. 23. cap. 16.

(o) Caus. in Polist. symb. lib. 2. cap. 48.

(p) Orph. in hymn. Justitiae.

(q) Juven. satyr. 2.

(r) Plutarch. in vit. Solon. Laert. in Anachars.

(s) Costal. in pegm. pag. 43.

(t) Schoonh. Embl. 68. pag. 201.

(u) Joann. de Mena copl. 84.

(x) L. in omnib. D. de reg. jur.

(y) Rævard. in dist. l. in omnibus.

(z) Supr. Embl. precedenti.

pro æqualitate, sive æquabilitate, in administranda justitia, quæ iniquitas dicitur, si alio modo distribuatur, juxta illud Seneca (a): *Prima pars æquitatis est æqualitas. Et Venerabilis Beda (b): Nam personam Judicis exxit, quisquis amicun induit, & qui alter causam pauperis, aliter causam potentis, aliter sodalis, & aliter audit ignoti, statera utique librat iniqua. Cui mirè convenit illud Laftantii (c) Firmiani, sic valde ad Emblematis nostri, & Rævardi mentem ajentis: Deus qui homines generat, & inspirat, omnes æquos, id est pares esse voluit. Ubi enim non sunt universi pares, æquitas non est, & excludit inæqualitas ipsa justitiam.*

19 Quam doctrinam haurire potuit ex M. Tullio (d), qui eos, qui in puniendis vindicandisque sceleribus, penitè constituendis, ob respectum & distinctionem personarum à legum prescripto discordant, ex supra effata ratione, his verbis objurgat: *Nam si æquitas illa est, quæ omnia recta, atque inflexibilis exigit. Si ea est juris ratio, ut neque inflexi gratia, neque adulterari pecunia possit, videatur sanè judicantium religioni maximè consentaneum, in sententiis ferendis æquabilitatem servare, euodemque semper ad judicia vultum afferre, quem in Socrate omni vita fuisse accepimus.*

20 Et in eamdem respiciens Psalmographus (e), multas benedictiones Regibus cœlitus concedi demonstrat, qui sciunt, *Judicare populum in justitia, & pauperes in iudicio; & simul efficiunt, ut Suscipiant montes pacem populi, & colles justitiam. Judicantes pauperes populi, salvos facientes filios pauperum, & humiliantes calumniatores. Quid, ut hujus loci Expositores (f) advertunt, nihil aliud designat, quam justitiam pauperibus æquè, ac potentibus, & elevatis parem esse debere. Sic enim & Moyses (g), postquam Deum descripsit, *Deum esse Deorum, & Dominum dominantium, Deum magnum, & potentem, & terribilem, qui personam non accipiat, & misera; statim subdit: Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei vicinum atque vestitum; quasi in hac virtute potentes cum humilibus exæquandi, omnis iudicij, etiam divini, vigor, & disciplina consistat, ipsaque, & leges ex quibus descendit, tunc præcipue suum ministerium exerceant, cum leones frænanti, ut nostrum Emblema præsefert, & in altero Psalmo (h) idem David cecinit, inquiens: In cano & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.**

21 Sunt enim leges frænum potentium, ut noster Saavedra (i) latè prosequitur, & Nos infra (k) latius dicemus, & ut ait Ovidius (l):

*Inde latè leges, ne fortior omnia posset*

*Coptaque sunt purè tradita sacra coli.*

*Exsurgit feritas, armisque æpotentius quam est,*

*Et cum cruce pudet conseruisse manus.*

*Cui similis est Euripides (m), dum inquit:*

*Nihil est civitate præstantius, quam leges,*

*Pœtè posite: nam & inferioris homo sortis,*

*Et quæ ditor est, æquale jus experintur:*

*Vincit autem minor majorem si justam causam habet.*

22 Quid æquè ac Nos per domiti, frænati, & à justitia inessi leonis figuram representamus, Hadriani etiam Jonius (n) in alio suo Emblemate non ineptè significavit, per Sceptrum, cui Ciconia superstat, Hippopotami immanis fluviatilisque Nili equi tergori infixum, sic docens, justitiae, & æquitatis Sceptro impios, quos Hippopotamus designat, esse domados, impietatemque & superbiam Potentium coærendam, & gladio vindice castigandam, atque medio tollendam, non secus quam à Ciconiis solet serpentum genus occidi, & devorari. Ejus verba sic habent,

*Hostis colubris ales insidet Sceptro,*

*Substrata quod Niloi Equi premit terga.*

*Domat superbos impiosque procultat*

*Sceptrum æquitatis, noxiisque consumit.*

23 Et in idem tendunt vetera illi Adagia, Rex Jupiter omnibus idem, *Æqua lance, Idem Aëtii quod Titii, & Tenedia securis, sive bipennis, in quibus Erasmus plura notavit. Et Imperatoribus Justiniani Novellæ (o), quæ Judices in ingressu officii hanc æquitatem utrique parti in iudiciis civilibus, & criminalibus, & in publica disciplina jurare compellunt, neminemque maleficorum revereri, & si de Potentioribus sit. Neque his se submittere, qui nullam de se utilitatem, at bene nefarias de se occasiones prebere possunt: sed per omnia jus tuerantur, & ad leges respiciant.*

24 Quod si deficiat, totius Reipublicæ excidium, & Regnantis periculum vereri posse, pluribus

Saa-

(a) Senec. epist. 30.

(b) Bed. in Proverb. cap. 11.

(c) Laftant. lib. 1. divin. inst. cap. 15.

(d) Tull. 2. Tuscul.

(e) Psalm. 71. per tot.

(f) Cajetan. Lorin. &c alii ibid.

(g) Deuter. 10. 17. 18.

(h) Psalm. 31. 9.

(i) Saaved. Empir. 21. pag. 134.

(k) Nos infr. Embl. 66.

(l) Ovid. 3. Fastor.

(m) Eurip. in supplic.

(n) Junius Embl. 17.

(o) Justin. Novell. 24. de pres. Psidias.

Saavedra (*p*) noster ostendit, Minuantur quippe iura, quoties gliscit potestas; ut alias Tacitus (*g*) dicit: *Etsi prohibita impunè transcederis, neque metus ultra nec pudor est.* Unde Apulejus (*r*), Medicinan Republicæ hanc justitiae æqualem libram appellat; & Titus Livius (*s*) reissimè monuit: *Neminem inum cirem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit: nihil tam æquanda libertatis esse, quam potentissimum quenque dicere causam.*

25 Quod Joannes etiam Mena (*t*) Regi nostro Joanni II. his verbis consultuit,

*A vos pertenece tal orden de dár,  
Rei excelente, i mi gran Señor,  
Asi como Príncipe Legislador  
La vida política siempre celar:  
Porque publicidá se pueda aguardar,  
Y tomen las gentes seguros los sueños,  
Punir á los Grandes, como á los pequeños,  
A quienes no perdoná, no le perdonar.*

26 Ubi doctus ejus Commentator Ferdinandus Perez de Guzman, alio nomine *Pintianus*, sic habet: *El buen Rei, o Príncipe que quiere guardar rectamente la justicia, así ha de moderar la ejecución de las leyes, que no tengan mas rigor en los pequeños, que en los grandes; é como dicen en el Proverbio vulgar, no quiebre la saga por lo más delgado.* Et Octaviani Augusti exemplum adducit, quem Suetonius (*u*) inquit: *Amicos ita magnos & potentes in cœnitate esse voluit, ut tamen pari jure essent, quo eeteri, legibusque judicariis æquè tenerentur.* Adjiciens statim, qualiter se habuerit in causa Asprenatis Nonii, artius ei juncti, & beneficis accusati.

27 Cui simile est, quod de Nostro Ferdinando V. Rege Catholicó adversus Marchionem de Priego graviter procedente, quod quendam à se delegatum Judicem carceraverat, post Marianam Saavedra (*x*) commemorat. Et quod ex annalibus Francorum, de Ludovico XIII. tradit Beyerlinchius (*y*), inquiens, quod cum Subprefectum Aurelianensem, quo cum familiariter fuerat usus, sèpè ante Regni adiectionem à delictis, de quibus accusatus fuerat, eximisset, postea Rex factus, eundem illa reiterantem, capite damnavit. Admirantibusque nonnullis, respondit, *Contentit priuatus pro amico, Regnum adeptus, leges tueri debeo.*

28 Erchimbaldi quoque de Borban, nepotem quoddam puellam stupraverat, propria manu ob justitiae zelum occidentis, notabilis est historia, & divino miraculo comprobata, cuius jam supra (*z*) mentionem feci. Nec minus notabilis, & ad rem nostram pertinens, alia Totiæ Gothorum Regis, alias crudelis, & barbari, qui Sigonio (*a*) latè narrante, cum rogaretur, ut cuidam ex suis intimis parceret, qui virginis stuprum intulerat, respondit: *Ejusdem ingenii esse, delicto se obstringere, & delictorum supplicia impidere, omninoque necessarium esse, aut illum penas dare, aut Gothorum Rempublicam interire, cui Deus minus propitius factus fuit, postquam Theodatus capit justitiam deserere, & equitatem dicitur post habere.*

29 Quod Barbari Regis dictum & factum, mihi aurem vellit, & admonuit, ut silentio illud aliud non involvam, quod de Lusitano Rege Alfonso Enriquez, hujus nominis I. in Nobiliariorum Infantis D. Petri (*b*) recolitur, dum in extremis agens, filio, Regni heredi, hoc monitum præstít: *E hacet siempre justicia, è guardad en ella piedad aguisada.* Casi un dia dexaredes de hacer justicia un palmo, luego otro dia se apartará de ti una brazada, è de tu corazon. Rectissimè, & verissimè quidem, nam qui à juris discedunt regulis, & semel à recto trahit prudentia, & æquitatis declinant, modò hac, modò illac fluctuare necesse est, & ut post Vellejum Paterculum (*c*) benè Natalis Comes (*d*) observat: *Non ibi consistunt exempla, unde corporant, sed quemlibet in tenuem recepta tranitem, latissimè evagandi, sibi licentiam sunsont, & ubi semel à recto deviatione est, in preceps itur.*

30 Cui consilio simile est illud aliud, quod Noster Eusebius Noriembergus (*e*) refert sanctissimam Iteminam Hidelgardinum Philippo Flandriæ Comiti hac in verba dedisse: *Attende fili Dei, ut purò oculo justitia in Deum, velut Aquila in Solem aspicias, & ut absque proprietate voluntatis tue, iudicia tua justa sint.* Et notandum illud responsum Cardinalis D. Joannis de Tavera (*f*), Hispaniarum Generalis Inquisitoris, cui cum à Carolo V. injunctum fuisset, ut se cum reo quodam, quem valde Imperator diligebat, benignè haberet, isque hoc Imperatori pollicitus, postea non adimplesset. Ab eo, de fide non servata reprehensus, sic libere respondisse narratur: *Quando me puse á juzgar, fui con-*

(*p*) Saaved. Empr. 22. ex pag. 148.

(*q*) Tacit. 3. Annal.

(*r*) Apulej. in lib. de Philor.

(*s*) Livius lib. 38. vide Filescac. 2. sticci. pag. 14.

(*t*) Joan. Mena copla 38.

(*u*) Sueton. in August. cap. 56.

(*x*) Saaved. Empr. 22. pag. 149.

(*y*) Beyerl. in Apoph. Christ.

(*z*) Supr. Embl. 9.

(*a*) Sigon. de Imp. Occid. lib. 10. an. 543.

(*b*) Conde D. Pedro in suo Nobiliario, apud Euseb. in lib. de la cause de los males publicos, cap. 2.

(*c*) Patercul. lib. 2.

(*d*) Natal. Comes lib. 26. hist.

(*e*) Euseb. in Theop. 2. part. lib. 3. cap. 1. pag. 489.

(*f*) Histor. Card. Tavera de Salazar de Mendoza.

animo de cumplirla. Pero visto el proceso, hallé que no podía, sin faltar á Dios, i á su justicia, i verdad, i así tuve por mejor perder el respeto á V. M. que á la divina.

31 Jovius quoque refert (*g*), vetus atque perpetuum Turcarum institutum esse, ut intranti templa supplicandi causa Imperatori, Telis manus ædibus occurrat, claraque voce pronuntiet, ut meminisse velit, Imperium, quod virtute bellica, & justitia paratum fuit, quam eidem artibus, conservari, propagari oportere.

32 Republica namque, ut jam diximus, & ex D. Augustino (*h*), & aliis bene observat Cassaneus (*i*), sine hac æqualitate justitia regi non potest, cum per eam mali terreantur, & boni conserventur; & ut ait Lipsius (*k*): *Nulla re quæcumque Respub. magis florbit, aut floruit, quæ rigidæ, & immota justitia: nulla re magis flaccescet, & deficit, quæ illa tali. Hec felicitas Regnorum, & statuon, interna, & externa. Interna quidem, nam quis nescit sceleris, & flagitia per eam removeri, virtutes promoveri: externa, quia agri, via, & maria frequentantur, & securitas ubique ac tranquillitas regnat.*

33 Tantæ potentie sit, ut per eam justè damnati, vel pereuentes ipsam agnoscant, & alacriter moriantur, ut de latrone in cruce pendente D. Lucas (*l*) scribit, dum dixit: *Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Et de Spartano quodam ab Ephoris damnato; Plutarchus (*m*), & Achilles Bocchius (*n*), qui ex ejus historia quoddam symbolum sumpsit, & insinuavit Ovidius (*o*), inquiens:

*Leniter, ex merito quicquid patiare ferendum est,*

*Quæ venit indignè pena, dolenda venit.*

34 Quemadmodum ex adverso, ubi gravia sceleris inulta relinquentur, non solùm in Reges & Magistratus culpa refunditur, verùm & in ipsa Numina erigi, & invehi Ethnicorum mentes solebant, & de eorumdem existentia anticipes redi; ut omissione impi Luciani (*p*) in suum Jovem subsanationibus, Cadmus apud Euripidem (*q*) Electra apud Sophoclem (*r*), & Jason apud Senecam (*s*) Tragicum fecit, qui ubi Medeam vidit, post tot sceleris, & patricidia, impunè per aera volantem, sic doluit,

*Per alta vade spacia sublimis aetheris:*

*Testare nullos esse, quæ veberis, Deos.*

35 Quod autem hucusque de Potentioribus & Nobiliaribus æquo jure cum humilibus & plebeis puniendis, judicandisque prælibavimus, eò quidem tendit, ut inulta eorum sceleris esse non patientur, cum vel ex hoc ipso quod Nobiles sint, graviora censeri debeant, ut jam alio loco præmonui (*t*). Non autem ut negemus, in ipsis plectendis, & coërcendis, diversam interdum rationem haberi debere, maximè ubi de poenis corporalibus agitur, juxta elegantes doctrinas, & distinctiones, quas in hoc articulo, pos Antiquiores alios, latè, & doctè Tiraquelus (*u*), Covarrubias (*x*), Joannes Garcia (*y*), & Jacobus Menochius (*z*) adducunt, crimina designantes, in quibus Nobilitatis privilegium amittitur, & Nobiles, ut in Francia (*a*) fit, nobiliaribus, sive altioribus furcis suspendi debent.

36 Sed magis ad rem, de qua agimus, Michaël Hospitalius (*b*), postquam latè exposuit, & valde doluit Nobilium Galliarum superbiam, elationem, ferociam, & gravia alia sceleris, & excessus de quibus glorificari, & impunes reliqui solent, Regem suum, ut in illos gladio ultore consurgat, his verbis excitasse compertur,

*Quin Tu, quando illi monitis parere recusamus,*

*Perpetuas leges, & formidabile nomen*

*Imperii, cipos, & tetri carceris umbras*

*Horridus intentas? pananque à gente reposcis*

*Immani, & scelerum plena, legumque soluta*

*Judicique metu: si cædibus omnia compleat,*

*Si predas abigit, si pejerat, & maledictis*

*Incessit superos, & nomina magna Deorum:*

*Nec miseræ plebis, vulgique ignobilis esse*

*Per magnos jurare Deos: proprium decus illud*

*Nobilium, quibus est Diis proxima penè potestas;*

*Hee vita ratio est, his se distinguere signis, &c.*

(*g*) Jovius lib. 2. in Baacete.

(*h*) D. August. lib. 7. de Civit. Dei.

(*i*) Cassan. ad cons. Burg. iii. 1. de just. in princ. em.

num. 14.

(*k*) Lipsius in polit. lib. 2. cap. 9.

(*l*) Luc. 23. 41.

(*m*) Plutare. in Laco.

(*n*) Bocch. sym. 18. pag. 41.

(*o*) Ovid. epist. 5.

(*p*) Lucian. in Timon.

(*q*) Eurip. in Bacchis.

(*r*) Soph. in elect.

(*s*) Senec. in Medea in fine.

(*t*) Supr. Embl.

(*u*) Tiraq. de nobil. cap. 20. ex num. 104. & de paen.

temp. caus. 31.

(*x*) Covarr. 2. var. cap. 9.

(*y*) Joan. Garc. de nobil. glori. 1. ex num. 14.

(*z*) Menoch. de orbit. cas.

(*a*) Canonth. 1. tom. pag. 730. Ego 2. tom. lib. 1. esp. 27.

ex num. 31.

(*b*) Hospit. in carmén. ad Amic.